



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XIX. Reiicitur sententia distinguens reliter intrinsecè relationem
prædicamentalem à fundamento, & termino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

nam complexio illa formalitatum non est ratione nostra qualitas, sed relatio quadam ab omni qualitate virtualiter distincta; item ne realiter est una qualitas, sed multiplex: albedo autem terminans est formaliter in predicamento qualitatis, & non relationis; & non est multiplex, sed una qualitas: his ergo duobus ex titulis dissimiles sunt albedo, quæ est terminus relationis, necnon formalitates supradictæ: at nec ex eis, nec ex ullo alio dissidet albedo fundamentalis (sic fas ita fieri) ab ea, quæ terminat: ergo, &c.

260 Hoc argumentum omnes omninò sententias de relatione predicamentali impetit, una sola excepta, eaque satis in verisimili, quæ constituit relationem in fundamento solo, & in nullo alio, seu re, seu ratione superaddito. Qui autem relationem realiter distinguunt à suis extremis, vix, aut ne vix quidem ei possunt respondere. Nobis vero, & Nominalibus eam ab extremis neutriquam distinguuntibus parum facessit, aut nihil negotij: nam identitas realis inadaquata, quam sortitur complexio illa formalitatum respectu albedinis terminantis compensat utriusque dissimilitudinem; facitque, ut ambe summan habeant similitudinem, sin minus formaliter; at certe eminenter, & modo quodam altiori: & quod consequens est, ut eo sensu haud sint minus similes, quam una albedo alteri. Ratio est, quia identitas est longè perfectior unitas quacunque similitudine rerum omnino distinctarum: quid mirum ergo eam si eminenter continet, & quamlibet compenlat dissimilitudinem? Hoc pacto censetur Pater æternus, & filius, esto sint personæ dissimiles, ac veluti specificè diuersæ, multo magis similes, aut certe non minus, quam Pater, filiusque in tempore talis, esto eorum personalitates non sunt dissimiles magis, quam illorum naturæ; videlicet, quia prior illa similitudo est coniuncta cum identitate reali inadaquata, unius nimirum essentia, quæ utrique personæ diuinæ est communis, secus verò posterior: similiter ergo, &c.

261 Obiciet septimò: scitum, & scibile, verbi gratia, referuntur predicamentally ad scientiam actualem, & in potentia, respectu nimirum tertii speciei harum, quas in cap. ad aliquid enumeravit Aristoteles, & eo, quem dicunt fundari in ratione mensuræ: aut huiusmodi relatio, seu denominatio sciti (par autem est ratio scibilis) ne virtualiter, seu ratione ratiocinata distinguitur à fundamento, & termino: eius enim relationis fundamentum est obiectum, quod scitur, eiusque terminus scientia. Ecquid autem est relatio, seu denominatio sciti, quam obiectum, & scientia? certè quidquid superadditur, vel re, vel ratione ab omni videtur ratione alienum, ac planè commentitium. Quod si huiusmodi relatio predicamentalis cogniti haud est virtualiter distincta à complexione fundamenti, & termini, non est, quapropter non sit dicendum idem de quacunque alia: tum, quia non est potior ratio unius, quam alterius cuiusvis: tum etiam, quia uti relatio cogniti, seu sciti est denominatio quadam extrinseca, ita etiam esse similem, dissimilem, æqualem, inæqualem, Patrem, filium, &c. quemadmodum ergo prior illa denominatio nihil aliud etiam ratione nostra est, nisi subiectum, & forma; ita etiam præter hæc duo posteriores denominationes aliud nihil vllatenus postulabunt.

262 Admitto relationem illam predicamentalem sciti ad scientiam, quamvis eam enim negent plerique veteres Aristotelis interpretes, solamque scientiam predicamentally, ad scibile censuant referri: cæterum contraria sententia est plurimum grauiusque recentiorum, ac longè vetior, ut constat ex dictis superius

hoc tractatu. Admitto etiam, relationem sciti haud esse realiter distinctam à scientia, & obiecto: licet enim Thomistæ non pauci putent ex actibus nostris in res ipsas nobis obiectas reieci quasdam relationes fictitias, ac debilissimæ, vel potius nullius entitatis, quibus debeant, quod sint genera, species, aliove cognita modo: tamen huiusmodi relationes ab actibus intellectus nostri in obiecta refluæ, & ab utrisque realiter distinctæ manifestè, nisi fallimur, confutata sunt à nobis in Dialectica lib. 2. tract. 1. cap. 5. & seq. Cæterum illud à me nunquam impetrare poterunt aduersarij, relationem, seu denominationem sciti haud esse ratione ratiocinata, seu virtute distinctam à fundamento, & termino, obiecto nimirum, & cognitione in illud intenta.

Siquidem totum per se, cuiusmodi est homo, 263 verbi gratia, distinguitur realiter à suis partibus, ut ostensum in physica: aut totum per accidens, quale est scitum, conuenit in ratione totius, siue compositi cum illo, sin specificè, & valdè pressè, saltem genericè, cum utrumque sit complexio quadam plurium entitarum: eademque est similitudo, ac proportio partium unius tum partibus alterius: fieri ergo nequit, quin virtualiter, ac ratione ratiocinata posterius totum sit à collectione partium suarum distinctum. Hoc pacto quæ est conuenientia intellectiois, & volitionis diuinæ cum nostris, quam hæc habent inter se distinctionem realem, eam habent illæ virtuales, ac rationis. Præterea fundamentum eius relationis, seu denominationis sciti, est obiectum penes, predicata sua physica, & primo intentionalia, ut aiunt, verbi gratia, homo, ut homo, aut candor, ut candor: terminus vero est scientia, seu cognitio utriusque actiue, & qua intellectus denominatur sciens, cognoscentive. Aut ab his duobus distinguitur ratione denominatio, ac relatio ipsa sciti: inuoluit enim formalissimè sumpta in recto obiectum penes predicata duntaxat secundò intentionalia, videlicet hominem, aut candorem, prout subsunt cognitioni nostræ, possuntque quod quidem in eis non est virtualiter idem, atque illud, quo connotata sua physica respiciunt: deinde eadem denominatio importat in obliquo cognitionem, non actiuam, sed passiuam, nec eam, qua redditur intellectus cognoscent, sed qua obiectum cognitum: altera autem harum formalitatum ab alia virtualiter distinguitur in cognitione quauis, ut supra lib. 2. patuit, cum sermo fuit de distinctione virtuali graduum. Quocirca, quod dictum est lib. secundo, Dialecticæ loco nuper memorato, quidpiam esse cognitum, haud esse aliud etiam ratione nostra, quam cognitionem, & obiectum, id accipiendum est, non de omni cognitione, & obiecto, sed de illa prout est passiuæ, & rem sibi subiectam tangit, & de hoc secundo intentionally sumpto, ac prout cognitione substracto, atque ad eam relato, cive obnoxio relationi.

C A P V T XIX.

Reiicitur sententia distinguens realiter intrinsecè relationem predicamentalem à fundamento, & termino.

Hæc nostra de relatione predicamentali 264 sententia. Alia verò, eaque communior est, illam esse accidens quoddam realiter distinctum à complexione termini, & fundamenti & huic intrinsecum, inherens. Ita Capreolus in 1. distinct. 30. quæst. 1. Ferrata 4. contra gentes cap. 14. Caiet. 1. part. quæst.

quæst. 22. Scotus in prædicam. ad aliquid quæst. 2. Iacellus 5. metaphys. quæst. 22. Ledesma 11 p. q. 28. dub. 4. Ioannes a S. Thoma quæst. 17. Logica art. 4. Iundus 5. metaphys. quæst. 24. Flandria etiam 5. metaph. quæst. 6. art. 18. Bñez 1. p. quæst. 28. art. 2. Gallego, Malus, Soncinas & communiter alij Thomistæ. Item Maior in 4. distinct. 12. quæst. 1. Durandus in 1. distinct. 30. quæst. 2. Bachomus, Murcia, Palatinus, & Alensis; Rurios cum Scoto in 1. dist. 1. quæst. 3. & in 3. distinct. 8. quæst. 1. eius assclæ: necnon ex nostris Valentia 1. p. disp. 2. quæst. 1. puncto 1. Molina 1. p. quæst. 13. art. 7. Valquez 1. p. quæst. 47. disp. 173. cap. 4. num. 13. Fasolus 1. p. quæst. 13 art. 7. num. 13. Atrobai 1. p. tom. 2. quæst. 45. disp. 102 cap. 4. num. 39. Fonseca 5. metaph. cap. 15. quæst. 2. sect. 5. Conimbricenses 2. phys. cap. 7. quæst. 7. art. 2. Rubius in prædicam. cap. 7. quæst. 14. Vallius tom. 1. Logica in prædicam. relationis quæst. 3. cap. 12. Balthasar Tellez in metaph. disputatione 42. sectione 3. atque apud eum Albertinus Salas, Tannerus, Becanus, Zuniga, & Alarcon.

265 Potro Capreolus, Ferrara, Caietanus & veteres plerique Thomistæ censent, hanc distinctionem relationis à fundamento esse realem absolutam, siue rei, ut aiunt, à re: cuiusque aliquantulum fauet B. Thomas quæst. 8. de potentia art. 2. & in 1. distinct. 33. quæst. 1. art. 1. Scotus verò, & Durandus apud Patrem Suarez in præfenti relationem prædicamentalem quandoque realiter absolute, quandoque modaliter, siue ex natura rei à fundamento, & termino distinguuntur existimant: Ceterum distinctionem cuiusvis relationis prædicamentalis à fundamento, & termino esse modalem, & non rei à re, sed modi cuiusdam volunt omnes nostri auctores superius laudati, vno excepto Fonseca, qui hanc distinctionem mediam esse, & reali absoluta minorem, ac reali modali maiorem, nescio quo fundamento adductus arbitrat.

266 Hæc sententia qualitercunque explicata mihi non probatur: Primo, quia ex ea sequeretur substantiam Petri, verbi gratia, quouis instanti infinitas penne mutationes veras, & reales subituram: consequens est absurdum, & incredibile: ergo, &c. Sequela probatur: quia modus realiter distinctus à re cuius est modus, eam realiter, & verè immutat: sed relatio prædicamentalis iuxta aduersarios ad minimum est modus fundamento intrinsecus, & ab eo, ac termino realiter distinctus, relationes item prædicamentales, quæ de nouo in fundamento consurgunt, & ei depercutiunt, sunt innumera: fundamentum igitur, nempe substantia Petri, verbi gratia, innumeras mutationes veras, & reales quocunque subibit momento. Prior minoris pars est aduersariorum, ut inquebant. Altera vero est per se conspicua: quia, quories aliquid de nouo in rerum natura existit, aut interit, toties substantia Petri similitudinem, aut dissimilitudinem saltem accidentariam amittit, vel acquirit: at quouis momento innumera sunt, quæ de nouo intereunt, & de nouo existunt: ergo relationes prædicamentales, quæ fundamento singulis temporis articulis accedunt, & recedunt planè sunt innumera. Maior probatur: quoniam reliqui modi, quales sunt duratio, vbicatio, vnio, cognitio, amor, &c. realiter, & verè immutant: ergo & modus relationis prædicamentalis: consequentia videtur bona: antecedens etiam: etenim mutatio localis est vera mutatio: sed mutatio localis per vbicationem de nouo productam fit: idem à fortiori, ut aiunt, de mutatione temporaria, idem de cognitione, & amore, ac reliquis modis dicendum.

267 Dices primò: ut subiectum verè mutetur opus est,

ut modus ei superueniens, non solum ab eo realiter distinguatur, verumetiam, ut illud de nouo perficiatur, qua ratione vnio hypostatica à verbo realiter distincta illud non immutat, eo, quod illud non perficiatur: modus autem relationis prædicamentalis nullam perfectionem, aut entitatem in suo conceptu includit, qua subiectum perficiatur, atque adeo illud non mutabit: at modi transcendentales res, quas modificant, perficiunt, ac proinde eas immutant. Contra: quia relatio prædicamentalis, vbi modus realiter distinctus à fundamento sit, perfectionem & entitatem necessario includit, quam fundamento communicet: illud igitur immutabit. Antecedens probatur: tum, quia relatio prædicamentalis est ens, ut ex partitione entis in decem prima genera, quorum vnum est relatio, manifestè constat: cum ergo non sit ens per entitatem, & perfectionem fundamenti, à quo realiter distinguitur, restat, ut in suo conceptu formalissimo entitatem, & perfectionem cohibeat, à qua sit ens: tumetiam, quia si modus, quo res ad tempus, & locum imaginarij omnis realitatis expertia refertur, entitatem, ac perfectionem habet, ut est in vbicatione, & duratione cernere; cur modus relationis prædicamentalis, quo res ad terminum existentem, aut certe non repugnantem existere refertur, entitatis expertus sit, atque perfectionis? Vide dicta superius cap. 2. vbi suam inesse perfectionem relationi satis est probatum.

268 Dices secundò: modum relationis prædicamentalis mutare quidem fundamentum; ceterum ob id infinites, aut penè infinites illud nequaquam mutare, eo videlicet, quod eodem modo indiuisibili fundamentum ad omnes referatur terminos: quare singulis momentis vnus tantum medi amissione, & alterius acquisitione semel, & iterum immutabitur. Verum hæc euasio facile potest præcludi: primò ad homines; quia iuxta Thomistam non paucos cognitio, siue similitudo intentionalis nequit eadem, & indiuisibilis realiter manens plura ut plura respicere, & intellectum pluribus obiectis, quæ plura sunt, assimilare; nihilque apud eos frequentius, quam æquiuocationi non esse in mente locum: ergo à fortiori similitudo physica, & realis eadem, & indiuisibilis realiter existens plures interui terminos, & ad eos fundamentum referre nequit, cum similitudo physica intentionali materialior, & imperfectior sit, ac proinde contractior esse debeat. Vide quæ suprà capite 7. huius tractatus adducta sunt aduersus B. Thomam, Capreolum, Ferrariensem, Gallego, Soncinatem, Paludanum, Henricum, Bñez, Cabreram, Rubium, Albertinum, ac Toletum, huic secundæ fauentes solutioni, & existimantes vnum, idemque subiectum nisi vno relationis modo non ferire terminos eiusdem rationis adæquatos, & disparatos inuicem, quantumvis plures. Secundò præcluditur ea euasio, quoniam causa diuersis actionibus diuersos producit effectus, & medium continui diuersis extremis non nisi diuersis vnionibus vnitur; & res loco, aut tempori commensura diuersis vbicationibus, & durationibus ad diuersum instans, & locum refertur: ergo etiam fundamentum diuersis modis ad diuersos terminos prædicamentally referetur, modo per modos referatur.

269 Rursus secundò, ea sententia mihi non probatur ob alia non minora, quæ ex ea sequuntur, absurda; nam ex ea in primis fiet, phantasmam, & imaginationem obiecta quantumvis dissita verè, & realiter mutare posse, videlicet ob dissimilitudinem, & dissimilitudinem, quæ ex actibus vtriusque in earum obiecta, quantumlibet intervallo distantia, resiliunt. Secundò

Secundò ob solam productionem hominis in India nati, eo ipso Europeum adepturum perfectionem aliquam, & entitatè, qua intrinsecè mutetur: Tertio in hac sententia omne agens inter agendum reparatur, esto cum nulla causa contraria luctam exerceat; contra quàm omnes Philosophi censent: consequens autem iure negari nequit, siquidem in omne agens ab effectu productò modus aliquis prædicamentalis realiter distinctus nunquam non redundat: quartò iuxta hunc sententiam nihil existeret in rerum natura, quod forma aliqua supernaturali intrinsecè prædictum non sit, siquidem modus essentialiter connexus cum ente supernaturali supernaturalis non esse non potest, vi enim eius connexionis totius naturæ vites superat: at nihil existit in rerum natura, quod eiusmodi modum sibi non vendicat, nempe per quem ad entia supernaturalia prædicamentaliter referatur.

270

Tertio eiusmodi opinio mihi displicet; quoniam relatio iuxta Thomistas termino constitui non potest, vt ex eorum fundamentis mox constabit, sed fundamentum modi prædicamentalis ei dissimile est, cum illud substantia, & hic sit accidens: non ergo ei est dissimile per ipsum modum: ergo per alium secundum: quando ergo huic secundo etiam est dissimile, fit necessario, vt sit progrediendum in infinitum. Diceret fortasse non nemo; quemadmodum inter partes continui iuxta sententiam Aristotelis, & Peripateticorum ferre omnium intericiuntur infinita in diuisibilia; ita nihil haberet incommodi, si intersint inter fundamentum, & terminum quemvis infiniti modi: quæ enim est eorum entitatiua tenuitas, & imperfectio, indiuisibilium instar esse. Atque ita à nobis etiam supra huius tractatus cap. duodecimo ad finem velut probabile constitutum esse admissis modis, eos esse numero infinitos in re qualibet existente respectu terminorum innumerabilium, quos tamen si sint in potentia, tamen prædicamentaliter respicit.

271

Verum enim, etsi modi possint esse infiniti fortasse quando vnum, vel alterum extremorum multiplicatur infinities, qua ratione inter innumeras partes còtinui totidem sunt interiecta puncta & inter rem aliquam existentem, & alias innumeras, ad quas prædicamentaliter refertur totidem entitates modales, si nisi præsidio modorum quorundam eiusmodi res, aut aliàs quasvis nequit intueri: cæterum quando ambo extrema sunt finita, nec, nisi dico improbabile, non meo tantum, sed omnium iudicio est, ea minimè posse referri inuicem, quin inter vtrumque innumerabiles modi intercedant: alioqui, nec materia vnietur formæ, qualis eacunque sit, quin vtrunque mediant infinitæ vniones, quibus nimirum alterutra earum partium vniatur vnioni suæ per aliam vnionem, & huic secundæ per aliam tertiam, & sic absque termino. Item exinde fieri, vt causa nequeat producere effectum per actionem aliquam, quin hanc efficiat per aliam, & secundam illam per aliam tertiam, & sic vltèrius. Idem incommodi admittendum erit necessaria ratione in vbicatione, duratione, quando earum merito res comparatur ad tempus, & locum. Quo ergo veri colore defendi potest, vnam substantiam ad aliam sine infinita modorum pluralitate referri nequire?

272

Quartò eadem improbat sententia: quoniam relationes Dominij, similitudinis, & aliæ id genus Deo de nouo, & in tempore adueniunt: at nullus modus intrinsecus de nouo, & temporaliter in Deo suscipi potest, alioqui posset mutari: relatio ergo prædicamentalis in modo intrinsecò fundamento, in eoque suscepto nequit consistere. Respondent Thomistæ communiter, Deum haud referri realiter, seu prædi-

camentaliter ad creaturam, sed duntaxat relatione rationis, Contra tamen: quia relatio prædicamentalis, ac realis ita posset & ac deberet vbius tolli de medio: nam, si Deus sine ea solius relationis fictitiæ præsidio est similis, dissimilis, inæqualis, creator, Dominus, &c. Quidni etiam hæ denominationes conuenire queant rebus creatis, quin propterea realiter referantur aliquorsum? Vide quæ aduersus negantes in Deo relationem quamvis realem, ac prædicamentalem ad creaturas superius disputata sunt Cap. 1. & Cap. 15.

273

Quintò confutatur ea opinio: quia substantia nequit assimilari alteri substantiæ per aliquid, quod termino dissimilius est, quàm ipsum fundamentum, alioqui album albo posset assimilari beneficio nigredinis: at, si similitudo esset modus realiter distinctus à fundamento, substantia aliqua fieret similis alteri substantiæ per aliquid termino dissimilius, quàm fundamentum ipsum, videlicet per modum illum, qui accidens est, atque adeò dissimilius termino substantiali, quàm substantia, quæ eius est fundamentum. Quo autem pacto hoc argumentum aduersus nostram nequeat retorqueri sententiam, explicatum est Cap. præcedenti in solut. obiectionis sextæ.

274

Sextò impugnatur illa opinio: modus prædicamentalis, per quem declarat relationem, produceretur, & non produceretur, quæ sunt repugnantia inuicem. Sequela probatur, quoad primam contradictionis partem: nulla perfectio, aut entitas de nouo existere potest absque vera productione, sed modus ille habet entitatem, & perfectionem realem, quæ denuò in fundamento conlurgit, vt probatum est supra semel, atque iterum. Perinde Diuina Filiatio iuxta Thomistas nullam perfectionem, aut entitatem importat, nec essentiæ superaddit & tamen verè producitur; quantumvis ergo modus relationis prædicamentalis à perfectione, & entitate præscindat, idquè permittatur disputandi gratia, nihilominus verè producitur.

275

Quoad secundam contradictionis partem eadem sequela probatur. Modus ille à termino produci nequit, aliàs terminus in quavis distantia posset operari, quod tamen est contra manifestam experientiam, & supra limitatam agentium naturalium perfectionem. Deinde à fundamento produci nequit: tum, quia fundamentum iuxta aduersarios aliquando non est actiuum, vt cum materia prima sit alicui demò similis, aut dissimilis, quam quidem Thomistæ censent esse puram potentiam, seu purè passiuam, ac minimè actiuam: tum, quia, alioqui fundamentum quantumlibet imperfectum, infinitos penè modos quouis efficere momento, qualis energia, & actiuitas ne perfectissimis solet agentibus concedi. Tandem à Deo, qui solus restat, is modus produci nequit, aliàs omnes effectus soli Deo attribui possent, omnisque negari posset efficientia causarum secundarum: etenim maior est connexio inter relationem prædicamentalem, & eius fundamentum ac terminum, quam inter ignem passio approximatum, & existentiam caloris in passio, cum prior connexio sit essentialis, & in ordine ad potentiam absolutam, posterior verò solum naturalis, ac potentia tantum ordinaria vinci nescia: sed ex connexionem naturali ignis passio cuidam approximati cum existentia caloris colligitur ab omnibus ferè Philosophis influxus aliquis verus, quem ignis conferat in calorem, & qui à solo Deo non præstetur ad præsentiam ignis: igitur à fortiori ex connexionem essentiali fundamenti, & termini cum relatione colligendus est influxus aliquis fundamenti, aut termini in relationem, qui

qui à solo Deo minimè exhibeatur : cum ergo fundamentum, & terminus eum influxum præstare nequeant, nihil erit, quod possit illum præstare.

276 Septimò reicitur ea sententia ad homines, vt aiunt. Nam Ioannes à S. Thoma suprà quæst. 17. artic. 4. in responsione ad primum, & alij non pauci Thomistæ, & ex Scotistis Mayton in 1. distinct. 29. quæst. 2. atque ex nostris Rubius in prædicam. cap. 7. quæst. 14. num. 333. censent, fundamentum, & terminum diuinitus à Deo conservari posse sine modo relationis. Quin etiam Ledesma, & Maior suprà citati, & quidam alij aduersariorum putant, relationem prædicamentalem similitudinis, aut Paternitatis, verbi gratia, per miraculum à Deo conservari posse sine fundamento, ac termino, atque vel his destructis, & aliis eorum loco non substitutis, vel certè facta substitutione alterius fundamenti, & termini, quæ relatio inter sit, & comparat. At neutrum horum potest sustineri: ergo nec, quod relatio sit accidens quoddam realiter adæquatè distinctum ab extremis suis, & eorum inhaerens alteri.

277 Non quidem prius. Ecquid enim est magis impossibile, quam Petrum, verbi gratia, & Paulum esse albos, & non esse similes, alterum esse genitum ab altero, vnumque nihilominus haud esse Patrem alterius, aut Filium hanc illius, vnum esse statuta septem palmorum, & alium octo, neutrum tamen esse maiorem, aut minorem alio. Dicunt aduersarij Petrum, & Paulum albedine ex æquo affectos, modo tamen prædicamentali destitutos, fundamentaliter, non formaliter esse similes; eademque ratione eos subire denominationes Patris, Filij, maioris, & minoris, aliasque quasvis id genus. Verum in primis, cum esse fundamentaliter simile, sit non esse propriè, ac verè simile, solutio hæc incommodum non tollit, nec mollit, sed cuiusdam additione voculæ regit: later ergo, vt aiunt, anguis in herba. Deinde ita si fas est nominibus ludere, ac fucum facere, impunè erit ei, qui dixerit parietem, v. g. esse posse, necnon albedinem ei unitam, quin tamen sit formaliter albus, sed fundamentaliter duntaxat, quive sinxerit ad eam denominationem præter duo illa requiri aliud quidpiam, huius enim commentum, alteriusve similis falsitas, quo convincetur argumento semel permixta aduersariorum doctrina? nullo certè, quod sciam.

278 Postecius etiam haud est sustineri magis facile: nam relationis prædicamentalis totum esse est esse ad aliud: quò ergo fieri potest, vt Paternitas, verbi gratia, habeat esse in rerum natura, & ad aliud non referat fundamentum aliquod, duove non comparat inuicem extrema? Rursus haud magis est ad aliud vnio, actio, aliave vlla relatio transcendentalis, quam prædicamentalis; imo hæc id inuneris multo magis sibi vendicat, cum per illud definiatur, quæ vero est transcendentalis aliam fortitur definitionem. Atqui vnio ita est ad aliud, vt diuinitus esse nequeat, quin destinatum aliquod extremum ad aliud quidpiam in particulari referat, actioque sic est ad aliud, vt determinatam causam ad effectum etiam determinatum necessario debeat referre, & ne per miraculum queat non referre; aliorumque respectuum transcendentium par est ratio. A fortiori ergo, vt aiunt, relatio prædicamentalis Paternitatis, v. g. aut similitudinis ita erit instituta, vt nulla potentia possit conservari sine eo, quod destinatum aliquod fundamentum ad terminum quendam specialem referat.

CAPVT XX.

Vltior precedentis sententia consutatio.

279 N Vllum efficacius argumentum aduersus relationem prædicamentalem in modo sitam, vel accidenti absoluto extremis superaddito, ab iisque realiter distincto, quam, si non sit vlla necessitas, vt ita eis sit superaddita, ab eisque distincta: haud enim sunt multiplicandæ entitates sine necessitate, vt est in tria, ac scholasticis omnibus recepta parricidia: quod autem non sit necessitas vlla multiplicandarum in præsentem entitatum, constabit dilucida, ac perspicua argumentorum, quibus ea probari potest, solletque, solutione.

Primum esto: fundamentum esse potest, quin ad terminum prædicamentalem referatur: ergo relatio prædicamentalis distinguitur realiter à fundamento: quod autem hæc distinctio realis non sit inadæquata, eo nimirum, quod relatio præter fundamentum etiam terminum includat, in hunc suadet modum: relatio suapte natura est ad aliud, sed ad aliud non esset, si terminum includeret, sed formalissimè ad seipsam. Secundum: prædicamenta distinguuntur inuicem: sed distingui non possent, si relatio esset realiter idem cum fundamento, & termino, quæ simul substantiæ, aut simul qualitates, quantitatæ esse possunt.

281 Tertium eius opinionis argumentum: si æqualitas vnus quantitatis cum alia non in modo distincto, sed in vtraque quantitate consisteret, crescente altera tantum quantitate cresceret æqualitas: at ea ex hypothese non crecit, sed funditus evertitur: ergo, &c. Maior probatur: quia crescente altera tantum parte totius totum absolute crecit, homo, verbi gratia, facto solius materiæ incremento: ergo si æqualitas est totum, in vtraque quantitate, fundamento nimirum, & termino consistens, crescente solo fundamento æqualitas incrementum accipiet. Quartum quorundam neotericorum: partes vniuersi per modum aliquem pro posteriori naturæ in qualibet respectu cuiuslibet resultantem ad se inuicem referri possunt: at is modus est relatio prædicamentalis: ergo, &c. maior suadetur: quia aliqui partes vniuersi velut scopæ dissolutæ, aut arena sine calce futura essent.

282 Quintum argumentum est: in diuinis paternitas haud est partim intrinseca, partim extrinseca fundamento, nimirum primæ personæ, quin potius huic est omnino intrinseca: similiter ergo in rebus creatis debet idem vsuenerire: at paternitas creata non est omnino intrinseca fundamento per identitatem: ergo per inhaerentiam, adeoque ei inexistit instar accidentis, siue absoluti, siue modalis. Sextum sit: relationis prædicamentalis aliquod est subiectum: tum, quia id à nobis ex communi scholasticorum omnium sententia statutum est suprà cap. 6. tum etiam, quia accidentis essentia est cuius esse est inesse alicui subiecto: at nisi relatio sit forma quædam recepta in eo, quod refert, ab eoque distincta, haud poterit vllum eius esse subiectum: solius enim formæ est in subiecto recipi: & quidem si est complexio quædam substantiarum, quæ referuntur inuicem, vt hæc, nulum habent subiectum, sed alterutra potius est subiectum multorum accidentium, ita similiter relatio nulli poterit inexistere: non ergo talis est, sed magis forma quædam fundamento, & termino superueniens. Rursus: vnum extremum relationis dicitur fundamentum, seu causa relationis, aliud vero terminus